



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Vicarius quis & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

cantandi Lectiones, Laudes, aliaque, seu eorum distributio ad canendum illi incumbat, & similiter ordo ac modus cantandi, pro tempore & solemnitate, præeatque in cantu. Ad eundem spectat determinatio delationis cereorum seu luminum: leves præterea castigationes Clericorum, aliaque similia, de quibus in *d. can. Perle-ctis*, §. *ad Primicarium Dist. 25.* & in *d. unico h. t.*

TITULUS XXVI.

De officio Sacristæ.

1. 2. *Sacrista quis, & officium illius.*
3. *Videri eundem cum Thesaurario.*

1. Sequitur quarto loco de officio Sacristæ, Sacrista dicitur à rerum sacrarum custodia, quasi sacristans; & idem est, qui Sacriarius: ut enim locus, in quo res sacræ reponuntur & aservantur, dicitur Sacriarium, *l. Sacra §. sacriarium D. De rerum depof.* ita qui rebus sacris præfici- tur, vocatur Sacrista, *e. unico h. t.*

2. Videaturque idem cum eo, quem in Ecclesi- is quibusdam Thesaurarium vocant: aliter Cimeliarcha dicitur, *l. fin. in fine Cod. De bonis auclor. l. ad. possiden.* & utriusque videtur idem esse munus atque officium, ut colligi videtur ex *can. Perle-ctis*, §. *ad thesaurarium in fine Dist. 25.* & *d. e. unico h. t.* ubi Sacrista dicitur subiectus esse Archidiacono.

3. Et ad ejus curam pertinere custodiam sa- crorum vasorum, vestimentorum Ecclesiastico- rum, seu totius thesauri Ecclesiastici (qui magis in vasis sacris & instrumentis Ecclesiasticis, quam in pecunia numerata consistit) nec non quæ ad luminaria pertinent, Et in *d. can. Perle-ctis*; dicitur ad Thesaurarium pertinere basilica- rum & ostiarii ordinationem, incensi & lumina- riorum præparationem, curam baptisterii ordi- nandi. Ex quo loco, ut ex ante dictis patet. Sacristam nudum habere officium, absque ulla ju- risdictione aut Præeminentia, *Rota tit. de præb. Decif. 9. aliàs 353. in novis.* Potest tamen eidem per consuetudinem vel privilegium attributa jurisdictione accedere dignitas, *Rota ibid.* Idque ostendunt delegationes Pontificiæ Thesaurario- rum, Turonens. *in c. Ex tenore 11. inf. De foro, comp.*

Linconensis, in *c. signif. 18. inf. De convers. coniu- gat.*, & Nivernensis, in *c. Cum olim 32. inf. De offi- cio & potest. lud. deleg.*

TITULUS XXVII.

De officio Custodis,

Denique Custos quasi minister est Sacristæ *secundum Glos. & Pan. ad rubr. hoc tit.* ideoque de ejus quoque officio aliquid subicien- dum est. Illud autem consistit in his, ut non tan- tum ad horas Canonicas pulset jussu Archidia- conis, sed & pallia vel linteamina altaris, eundem- que utensilia Ecclesiæ indefinenter custodiat, in lampadibus & lucernis diligenter accendendis & extinguendis privileg. existat *e. 1. h. t.* panem, & vinum omni tempore ad Missam præparatum habeat; oblationes seu elemosinas Clericis sin- gulis distribuatur, *d. e. 1. & 2. h. t.* Et hic vix un- quam videtur habere jurisdictionem, aut digni- tatis vel minimam partem.

Cæterum non est magna vis faciendi in hoc, vel ante dictis nominibus, eorumque officijs de jure statutis, sed omnia referri debent ad consue- tudines Ecclesiarum, pro quarum diversitate nomina ista variantur, & pariter eorum officia.

TITULUS XXVIII.

De officio & potestate Vica- rii.

§. I.

Vicarius quis, & quotuplex.

1. 2. *Vicarius alius Perpetuus, alius Temporalis.*
3. *Perpetuus habet se adinstar beneficiarii.*
4. 5. *Non etiam Temporalis.*

Consideratis eorum officiis, qui deserviunt Ecclesiæ nomine proprio: sequitur de iis, qui deserviunt nomine alieno; eujusmodi sunt Vicarii, Dicitur enim Vicarius à Vice, quod

quoddam vicem alicujus gerat: cum enim quis rebus suis interesse vel superesse non potest, Vicarium sibi in iis constituit, per quem quæcumque gesta fuerint, perinde habeatur, ac si per ipsum constituentem expedita fuissent, *juxta c. Qui facti De reg. jur. in 6.* Quamquam hoc loco non tam late accipiatur nomen vicarii, ut denoret eos omnes, qui quoquomodo vices alienas obtinent in functionibus Ecclesiasticis (ut cum Archidiaconus dicitur esse Vicarius Episcopi *c. 1. sup. De officio Archid.*) sed strictius pro eo scilicet qui officium Ecclesiasticum, quod alteri Ordinario jure competit, ipse nomine exercet.

1. Duplicis autem Vicarii in jure Canonico potissimum sit mentio: unius perpetui, ut in *c. Ex parte h. t. c. extirpanda 30. § qui vero inf. De præbendis, c. G. perpetuus inf. De fide instrum.* alterius Temporalis, ut in *s. Pervenit inf. De appellat.*

Perpetuus dicitur, qui Canonice, id est auctoritate Episcopi constituitur in aliqua Ecclesia parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede ex proventibus ipsius Ecclesiæ. Sic a sacris Canonibus permittitur habenti parochialem Ecclesiam, suæ vel dignitati vel præbendæ annexam, substituere sibi Vicarium idoneum & perpetuum, auctoritate Episcopi, *d. c. Extirpanda § qui vero, & c. De monachis inf. De præbendis, & similibus* Vide Conc. Trid. Sess. 7. cap. 6 & 7. Sess. 25. cap. 16. *de reformat.* ubi idem permittitur Cathedralibus Collegiatis seu aliis Ecclesiis vel Monasteriis seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque, quæ beneficia Ecclesiastica curata perpetuo sibi unita & annexa habent.

2. Cæterum Vicarius ejusmodi, semel Canonice, ut dixi, id est auctoritate superioris constitutus, non potest per proprium Ecclesiæ Rectorem, aut ejus successorem, removeri, aut portione sibi assignata fraudari, *d. c. Extirpanda § qui vero Clement. unica h. t.* licet alias mandatum revocari possit pro arbitrio mandantis. Imo nec Episcopo permittitur eidem administrationem auferre, nisi justis de causis, ut colligi videtur ex *c. Ad hæc h. t.* quia scilicet Vicarius perpetuus non habet se ad instar simplicis mandati, sed ad instar beneficii, & Vicarius perpetuus ipso jure censetur beneficiarius, *c. Perpetuus inf. De fide instrum.* Glos,

in c. 1. in v. in diversis h. t. c. Michael inf. De filiis Presbyterorum: ejusque officium refertur inter beneficia in *c. Postulasti 27. sup. De rescriptis;* & penes eundem est cura animarum Abbas *in d. c. Extirpanda § qui vero.* ideoque curatus primitivus, ut aliqui vocant, non potest nec debet Sacramenta conferre. Hinc quoque fit, quod Vicarius sicut & quilibet alius in beneficio, auctoritate Episcopi sibi collato, institui debeat, *c. ex frequentibus inf. De institut.* semelque institutus, temere & hinc causa ac præter juris ordinem non sit amovendus, ut neque quisquam beneficio privandus est: quodque quis nequeat esse Vicarius in diversis Ecclesiis, *c. 1. & 2. h. t.* aut sibi alium Vicarium perpetuum substituere, *juxta communem sententiam,* sed per se ipsum deservire compellendus sit, per subtractionem fructuum vel ipsarum Vicariarum, *c. ult. h. t.* Non obstante regula, *in c. Qui facit. 72. De reg. juris in 6.* quia non habet locum, quando induit personæ spectatur, ut in Vicario attenditur. Possit tamen ad tempus aliquod ex justa aliqua causa alium substitui, docet Abbas *in c. Clericos h. t.* Hinc etiam in Vicario perpetuo Jura, de Rectore parochialis Ecclesiæ constituta locum obtinent: veluti quod intra annum à Vicaria obtenta ordinari Presbyter debeat sicut obtinens parochialem, *Clement. unica h. t.*

3. Vicarius Temporalis est, qui in locum alicujus ad tempus substituitur, justa subsistente causa, puta quia pluribus Ecclesiis, quas obtinet simul deservire nequeat, *cap. Et temporis xxvi q. 1.* aut pluribus negotiatione sui muneris & officii distineatur, vel quia ob peregrinationem, ægritudinem aut justam absentiam, ab Episcopo cognita & approbatam vel ob aliam aliquam causam veluti necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, deservire suæ Ecclesiæ non possit.

4. Cum autem ad tempus dumtaxat hic Vicarius constituitur, non habet se ad instar beneficiarii, Glosa *in Extravag. Joan. xxii. Execrabilius De præbendis:* sed jure penes Rectorem principalem manente, penes Vicarium solummodo est functio & administratio, quam exercet nomine alterius, & quæ expirat morte Rectoris principalis; ad cujus etiam nutum revocari potest. Abbas *in d. c. Extirpanda.*